SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PP. VII.

LITERÆ DECRETALES

SUPER

INSIGNIS COLLEGIATÆ, ET MATRICIS ECCLESIÆ

S.Æ MARIÆ MAJORIS

CIVITATIS NICOSIAE

AD MINORIS BASILICÆ HONOREM ELATIONE

AUCTO CAPITULO MAJORI DIGNITATUM, ET CANONICORUM NUMERO

NEC NON SUPER

EJUSDEM ECCLESIÆ

Ad primævam honorum, præeminentiarum, præcedentiarum, aliorumque omnium jurium possessionem

Abrogatis in partibus adversantibus anterioribus Apostolicis Literis, sextodecimo Kalendas Aprilis Anni 1816. *datis*

OMNIMODAM REINTEGRATIONEM

Kal. Martii Anni 1819.

SANCITÆ.

NEAPOLI

TYPIS BARNABÆ CONS

1825.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Quod inscrutabili Divinae Providentiae consilio, Nobis immerentibus, demandatum est Apostolicae Servitutis Officium, inter gravissimas alias curas, hoc etiam Nobis imponit, ut Beneficia postulantibus non concedantur, si per ea cuipiam injuriam inferri, vel jura Tertii quaesita laedi agnoscatur, et si quid unquam, Nobis insciis, per Exponentium falsam suggestionem, aut calliditatem, in alienum detrimentum subreptum, obreptumque forsan esse contigerit, id pro irrito habentes, ad legitima jura servanda, novis Concessionibus illata damna reparare studeamus.

Quum itaque Nos ad Catholicae Fidei propagationem, atque ad Animarum, pretiosissimo Christi Sanguine redemptarum, spirituale regimen, et gubernium, post Processum de more confectum, omnibus Nobis expositis, per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, rebus Consistorialibus propositam; plane, riteque discussis piis Charissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Utriusque Siciliae Regis Illustris votis, favorabiliter obsecundando, praevia novemdecim Terrarum a Metropolitana Ecclesia Messanen dismembratione, sejunctione, et separatione, illarum praecipuam Nicosiam Herbitensem nuncupatam, in Civitatem Episcopalem, atque saecularem, et Insignem *Collegiatam Divo Nicolao* dicatam, inibique existentem Ecclesiam, in Cathedralem, Apostolica, qua fungimur Auctoritate respective ereximus, atque instituerimus, prout in Nostris sub datum apud Sanctum Petrum Decimoseptimo Kalendas Aprilis, anno Domini millesimo octingentesimo Decimo sexto sub plumbo expeditis, et executioni, ut accepimus demandatis Literis, fusius continetur.

Postmodum vero pro parte Dilectorum Filiorum Deca-

2

ni, ac Capituli, et Canonicorum alterius Saecularis, pariterque Insignis Collegiatae *Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris* nuncupatae, in praedicta Civitate Nicosien pariter existentis, Nobis humiliter exposito, quod in praedictis Nostris super antedictae Sancti Nicolai Collegiatae in Majorem ut praefertur Ecclesiam erectione, expeditis Literis, absque ulla Nostra scientia *ex una parte reticitum* fuit supradictam Congregationem Nobis *consuluisse evectionem dictae Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris in Basilicam Minorem*, et parte ex altera minus vere assertum fuit praedictam Sancti Nicolai in Majorem, ut supra per Nos erectam Ecclesiam, *unicam tantum* in ipsa Civitate Nicosien *Matricem extitisse*, atque *actu existere*, simulque praefatam Sanctae Mariae Collegiatam, ut praefertur Ecclesiam, absque ullo *Majoris, et Matricitatis antiquitus ei spectante* Titulo fuisse enunciatam: *et insuper statutum solemnem* Sanctissimi Corporis Christi Processionem in ipsa Civitate fieri solitam ab Universo, tam Saeculari, quam Regulari Clero, sub *unica tantum* ipsius Sancti Nicolai in Majorem per Nos, ut praefertur erectae Ecclesiae, Cruce esse *peragendam*, quae omnia, ut pariter accepimus, adversantur *priori possessioni Capituli praedictae Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae*, cui etiam in vim rerum judicatarum, jus continuo spectavit *propriam erigendi Crucem* in Processionibus quibuscumque, et in iis praecipue Sanctissimi Corporis Christi, et Rogationum, proindeque Collegiatae Ecclesiae praedictae grave praejudium inferretur.

Hinc *Nos supplicationibus* pro parte Decani, ac Capituli, et Canonicorum praedictae Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae Nobis humiliter porrectis, benigne inclinati, excepto Voto nonnullorum e supradicta Congregatione praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ac unius ex praestantioribus Romanae Curiae Praesulibus, totoque negotio sedula maturitate perpenso, ne saepedicta Sanctae Mariae Majoris Collegiata Ecclesia juribus, ac Privilegiis, quibus antea potiebatur, in posterum *fraudata remaneat*, atque *simul* eo quo par est *decore perfulgeat*, Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, ac matura Deliberatione, Nostris, ipsam *Sanctae Mariae Majoris*

nuncupatam saecularem, atque Insignem Collegiatam Ecclesiam in Civitate praedicta Nicosien, ut prefertur existentem, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, quemadmodum antedicta Congregatio jam proposuerat, ad *Basilicae Honorem*, ac Dignitatem evehendam esse Apostolica Auctoritate decernimus, *ad instar Basilicarum Minorum Urbis*, et alterius saecularis, pariterque Collegiatae Ecclesiae Sancti Jacobi in Civitate Calathajeronem existentis, similique Basilicae Titulo per alias nostras sub Plumbo Literas Datas Pridie Idus Septembris, anno ejusdem Domini millesimo octingentesimo Decimo sexto decoratae cum omnibus, et singulis juribus, honoribus, praeeminentiis, prerogativis, ante lationibus, et Insigniis, quibus istae fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac frui, potiri, et gaudere poterunt in futurum, dicta Apostolica Auctoritate, item perpetuo evehimus, et extollimus, ac talem fore et esse, et ita ab omnibus recognosci debere eadem Apostolica Autoritate volumus, et declaramus.

Ipsamque Praeterea Sanctae Mariae Majoris Collegiatam, Basilicae sic per Nos decoratam Ecclesiam, illiusque Dignitates, atque Capitulum, et Canonicos in *perantiqua omnium, et singulorum jurium*, *Titulorum*, *praeeminentiarum*, *et honorum possessione* quibus usque ad diem, qua per primo dictas Nostras Literas praefata Sancti Nicolai Collegiata in Majorem, ut supra, erecta fuit Ecclesiam, *potiebantur*, et praecipue ad Sanctae Mariae *Majoris*, et Ecclesiae *Matricis* Titulos (quo *Titulo Matricis cumulative* cum *Majori Ecclesia praedicta prout antea uti valeat*) nec non etiam *ad jus peragendi solemnem*, die festo Sanctissimi Corporis Christi, Processionem, juxta *vetustissimam consuetudinem*, ac propterea tam saepedictam Sanctae Mariae Majoris Collegiatam Basilicae Titulo ut supra decoratam Ecclesiam, ejusque Dignitates, ac Capitulum, et Canonicos praedictos, quam Ejus filialem Parrochialem Ecclesiam Divo Michaeli Arcangelo dicatam, atque Sodalitates omnes, quae intra fines Regionis, *vulgo Quartiere*, ipsius Collegiatae Ecclesiae existunt, *in simili possessione omnimode libertatis* nullatenus interveniendi *Processionibus*, aliique actibus quos a praedictae Sancti Nicolai Majoris Ecclesiae Capitulo fieri contingat, *et*

presertim Processioni quae ab ipsius Majoris Ecclesiae Capitulo peragi solet in die festo Sancti Nicolai praefatae Nicosien Civitatis Patroni, non tamen unici, (libera manente eidem Civitati, ejusque Clero, et Populo alterum sibi Patronum, quoque eligendi facultate, ultra eundem Sanctum Nicolaum, si, et pro ut de jure, atque ad formam Constitutionum Apostolicarum, et Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum).

Ac demum eamdem Sanctae Mariae Majoris Collegiatam Ecclesiam, illiusque Dignitates ac Capitulum, et Canonicos praedictos *in simili possessione liberi juris*, elevandi propriam Crucem in omnibus Processionibus, et actibus, tam sejunctim a saepedicto Majoris Ecclesiae Capitulo, quam conjunctim, (si ipsius Collegiatae Sanctae Mariae Majoris Capitulo intervenire libuerit) respective peragendis, dummodo tamen ejusdem Majoris Ecclesiae Capitulo minime sese intermisceant, sed ab illo Corpus separatum constituant, ad formam Decretorum praedictae Congregationis Sacrorum Rituum, omnino manutenendos, et quatenus opus sit redintegrandos esse *Motu*, *Scientia*, et Potestatis plenitudine similibus pariter volumus, atque decernimus.

Manutentionem autem seu redintegrationem juris praedictam, donec in congruo judicio de bono jure inter saepedictam Sancti Nicolai Majorem, et praefatam Sanctae Mariae Majoris Basilicae Titulo sic decoratam Collegiatam, respective Ecclesias cognoscatur, ac definitive pronuncietur, num inter primaeva ipsius Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae jura aliquod sit, quod cum praedictae Sancti Nicolai Ecclesiae novo statu conciliari non possit, observandam esse, dicta Apostolica Auctoritate similiter decernimus, ac declaramus.

Ad quem effectum quascumque quaestiones super juribus, honoribus, Insignis, praeeminentiis, prerogativis, Processionibus, caeterisque Ecclesiasticis actibus inter Majorem, et Collegiatam, respective Ecclesias praedictas, tam huc usque exortas, quam in posterum orituras, Motu simili ad Nos, et Sedem Apostolicam avocamus, earumque cognitionem Congregationi praedictae Rebus Consistorialibus praepositae, quae procedat suo more, et pro ut de jure, Motu simili, committimus, ac delegamus, atque commissum, et delegatum, intendimus, et mandamus.

Quoniam vero, ut accepimus, jam a priscis temporibus, ad pacem, et Concordiam inter utramque Sancti Nicolai, et Sanctae Mariae Majoris, tunc existentes Collegiatas Ecclesias, facilius tuendam, statutum reperiebatur, quod utrique ex praedictis Ecclesiis unus tantum *Archipresbyter*, uti Principalis Dignitas cumulative, ac simultanaee praeesset ad formam Literarum Apostolicarum felicis Recordationis Urbani Papae VIII. Praedecessoris Nostri sub datum Quinto Idus Aprilis anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto sub plumbo similiter expeditarum. In praesentiarum vero, idem Archipresbyter, Major post Pontificalem in praefata Sancti Nicolai Majori Ecclesia Dignitas, constitus, alteri Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Majoris amplius deservire non valeat, ita ut in ipsa Collegiata Ecclesia tantum Decanatus, secunda inibi Dignitas, remanserit; Nos idcirco ut ipsius Sanctae Mariae Majoris Collegiatae, ac Basilicae titulo sic decoratae Ecclesiae Regimini, ac decori opportune consulamus, utque simul damna, quae ex memorata Sancti Nicolai in Majorem, ut praefertur Ecclesiam erectione praeter, et contra mentem et intentionem Nostram incurrit, aliquo modo compensentur, earumdem tenore praesentium, motu pari statuimus, quod ex nunc deinceps perpetuis quoque futuris temporibus, ipsius Sanctae Mariae Majoris Collegiatae, Basilicae titulo sic decoratae, Ecclesiae Capitulum, non una tantum, sed tribus Dignitatibus constare debeat in posterum, nempe *Archipresbyterali*, inibi Principali, ac *Decanatu* jam existente secunda, et *Primiceriatu* Tertia; et ex decem Canonicis de numero Nuncupatis, inibi similiter, ut quoque accepimus existentibus, ultra alios *duos Canonicos*, *mere honorarios*, quos ut infra addendos eadem Apostolica Auctoritate decernimus. Quibus quidem Dignitatibus, ac Canonicis, ut Ipsi, eorumque respective successores *iisdem Insignibus*, jam Capitulo, et Canonicis praedictae Sancti Nicolai in Majorem, ut praefertur erectae Ecclesiae per Nos, vigore primodictarum Literarum, ut praefertur, concessis, deferendi scilicet Cappam Magnam Sericam violacei coloris cum pellibus armellinis, et cum hoc insuper, quod Tres Dignitates praedictas tantum pro tempore obtinentes, ultra Insignia praefata, Sanctissimi Crucifixi Imaginem (cujus Festum Feria Sexta Heb-

domadae Tertiae Mensis Novembris ob memoriam liberatae a pestilentiae flagello Civitatis Nicosiae, quolibet anno a saepe dicto Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae Capitulo, ut similiter accepimus, celebratur) e collo per cordulam, cum flocco serico violacei coloris, pendentem, tam in dicta Sanctae Mariae Majoris Basilicae Titulo sic decorata Ecclesia, quam extra eam in omnibus functionibus publicis, et privatis, ac inter Missarum, et Horarum Canonicarum diurnarum pariter, et nocturnarum, ac Vesperarum, aliorumque Divinorum Officiorum celebrationem, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis, etiam in praesentia praefatorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, Vice-Legatorum, ac Nostrorum, et Sedis Apostolicae Nuntiorum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, atque Ordinarii etiam proprii.

In publicis processionibus solummodo vero, vel Archipresbyter, vel ipso absente Decanus, eoque quoque absente Primicerius, nemine vero ex dictis tribus Dignitatibus interessente, Antiquior Ejusdem Collegiatae Ecclesiae Canonicus *Baculum argenteum* deferre, ac respective uti, et gestare etiam respective valeant, et valeat, motu pari, eadem Apostolica Auctoritate perpetuo quoque concedimus, et indulgemus.

Ante dictis vero decem ipsius Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae Canonicis de numero, ut supra nuncupatis, alios duos Canonicos Honorarios nuncupandos, absque praebenda, et voce in Capitulo, cum stallo tamen in Choro, et loco in omnibus Ecclesiasticis functionibus, addendos esse pari Auctoritate statuimus, atque decernimus. Archipresbyteratum vero praedictum Principalem in saepedicta Sanctae Mariae Majoris Collegiata Basilicae titulo sic decorata Ecclesia, extiturum, et a primaeva illius erectione, et institutione, ut praefertur per nos factis vacantem, Dilecto Filio Joanni La Via Presbytero, Decanatum actu obtinenti; Decanatum vero secundam, Dilecto etiam Filio *Rosario Garigliano*, quoque Presbytero, Primiceriatum vero Tertiam respective Dignitates praedictas a primaeva quoque ipsius erectione, ut supra pariter vacantem, Dilecto similiter Filio *Salvatori Provenzale*,

pariter Presbytero; itemque ante dictos duos Canonicatus Honorarios, ut praefertur nuncupandos a primaeva pariter Eorum Erectione, et institutione hujusmodi, ut praefertur facta, similiter vacantes Dilectis similiter Filiis *Sebastiano Pantaleo*, et *Emmanuele Arra* respective Clericis, seu Presbyteris ipsius Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae modernis Beneficiatis, ipsorumque residentialia Beneficia praedicta Dilectis etiam Filiis *Mariano Riccobene*, et *Aloysio Fiscella* respective quoque Clericis seu Presbyteris, Apostolica Auctoritate respective conferimus, et de illis respective providemus, atque provisos esse eadem Apostolica Auctoritate renunciamus.

Praesentes autem Literas, et in eis contenta quaecumque semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, firmiter, et inviolabiliter observari debere, nec ullo unquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno substantiali, et inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illos restitutiones in integrum aut *aliud* quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu alios quomodolibet etiam Motu simili concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari posse; neque easdem Praesentes, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem eamdem, etiam Motu pariter etiam Consistorialiter, ac cum quibusvis clausulis, et Decretis pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ita ab omnibus censeri, sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis

auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata Eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi Facultate, judicari, et definiri debere; et si secus super his a quoquam quavis Auctoritate Scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, irritum, et inane decernimus, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et praesertim primodictis *Nostris Literis super erectione saepedictae Sancti Nicolai* Collegiatae in Majorem Ecclesiam, ut supra expeditis, iis tantum in partibus, quae Praesentibus Nostris Literis adversantur, dictaeque Sanctae Mariae Majoris Collegiatae Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, quibus omnibus, et singulis ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice duntaxat Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praemissa omnia sic per Nos, ut praefertur, disposita suum valide sortiantur effectum, Venerabilem quoque Fratrem Nostrum *Antonium Mariam Trigona* modernum Archiepiscopum Messanen, cui praedicta Nicosiensis Ecclesia Metropolitico jure subesse dignoscitur, in Praesentium Nostrarum Literarum *Exequutorem* Apostolica Auctoritate praedicta simili modo constituimus, et deputamus, ad hoc ut Ipse omnia, et singula, quae ad hujusmodi Gratiae implementum, etiam respective Praebendarum novis, ut supra per Nos erectis Dignitatibus assignandarum, necessaria, et opportuna dignoverit, libere, et licite valeat statuere, tributa eidem Antonino Mariae Archiepiscopo facultate, super quacumque oppositione in actu exequutionis hujusmodi quomolibet oritura, servatis tamen de jure servandis, cognoscendi, ac terminandi.

Volumus autem, quod Joannes primodictus de Archipresbyteratu praefato, ut praefertur provisus, antequam dicti Archipresbyteratus possessionem adipiscatur, *Fidem Catholicam* juxta articulos jam pridem a Sede Apostolica praefata